

QK. 278. 14.



DE
VITA ET MERITIS
VIRI ILLVSTRIS ATQVE CELEBERRIMI
IOHANNIS THEOPHILI
WALZII,

CONSILIARII ATQVE MATHEMATICI REGIS

SOC. REG. SCIENT. BEROLINENSIS SODALIS

DISSERIT

ET AD BENEVOLE AVDIENDAS ORATIONES

FILIORVM EIVS

EORVMQVE COMMILITONVM

DECENTER INVITAT

CHRISTIANVS GOTTLLOB KAENDLERVS,

A. M. SCHOLAE RECTOR, ATQVE SOCIET. SCIENT.


MOGVNTINAЕ, LATINAЕQVE IENENSIS

MEMBRVM HONORARIVM.

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

MDCCLXI



СТИМТЕ АРХИ
ВИКТОРИЯ ВОЛГА
ЛИНЮС ГАИНО
СИЛА



VI

DE
VITA ET MERITIS
VIRI ILLVSTRIS ATQVE CELEBERRIMI
IOH. THEOPHILI WALZII,
CONSILIARII ATQVE MATHEMATICI REGII
SOC. REG. SCIENT. BEROLINENSIS
SODALIS.

§. 1.

Quamvis etiam humili loco prognatis non raro, vti Corin-thum, ita etiam Parnassum adire contingat, nihilominus tamen non in ultima felicitatis parte ponendum esse iudicamus, si alumni illustres habent domi imagines, in quas intuendo quotidie excitentur maiorum suorum aequis, si fieri licet, passibus, premere vestigia.

§. 2.

Duobus meis, quas Vobis iamnam fisto, auditoribus, haec contigit felicitas, et cum, quantum meminimus, nemo adhuc illustris eorum parentis vitam descripscerit, haud alienum a praesenti iudicamus instituto, si memoriam tanti viri, hac occasione, ab obliuione vindicare instituimus, praesertim cum eiusdem Vidua, Genero atque liberis familiariter vti, per quatuor nobis licuerit annos.

§. 3.

Natus erat Noster in ea Germaniae prouincia, quae vna omnium maxime, ob in formandis bonae frugis adolescentibus adhibitas curas atque impensas maxime floret, intelligimus regionem Wurten-

* 2

bergicam.

IV

bergicam. In lucem editus fuit M. Octobr. anni MDCCXIII. Pater-
fus est Reu. Georgio Walzio, Ecclesiae Hohenstauffensis antistite.
Hic, prout ipse amabat litteras, praecipue in oriente usitatas, omni-
bus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudiuit,
eadem plane ratione, vti Nepos de Attici iudicat parente. Talibus
exemplis edocitis nobis non appareat, quare multi admodum patres,
litteris alias probe exculti, profiteri non erubescant, sibi, in erudi-
endis filiis suis, operam insumere, plane esse impossibile, cum no-
stra aetate Baratierus, suo exemplo, longe alia demonstrauerit.
Annos natus XI. ad scholam Bebenhausensem fuit ablegatus, ubi
tantos in omnis generis litteris fecit progressus, vt commilitonum
Suorum excitauerit inuidiam, qui, palmam eum tantum non sem-
per reliquis praeripere, clariusque inter aequales exsplendescere,
aegre ferentes, strictis eum aggressi sunt gladiis, quod periculum
tamen evasit, licet non sine vulnere. Anno aetatis XIV. Schola
Bebenhausensis eum non capiebat, quare, non suo arbitrio, id quod
apud nos fieri solemne est, sed iudicio antisitum, ad Academiam
Tubingensem fuit ablegatus, ubi, triennio exacto, qui erat annus
aetatis XVII. declaratus est Magister, quem vocant, legens, dignus
adeo iudicatus, qui alios instrueret commilitones. Studio Theo-
logico destinatus, saepius a parente domum vocabatur, vt in sug-
gestu plebem, in religionis nostrae erudiret elementis. Sed nesci-
mus, quibus permotus rationibus, ab hoc plane discesserit opere, quam
mutati consilii rationem minus displicere Deo ter optimo, quicquid
alii iudicent, sumus persuasi, si idoneis nimirum consilium nitatatur
rationibus.

§. 4.

Qua occasione non possumus nobis temperare, quia rem fide-
fere maiorem, quam in hac palestra suscepit, lectoribus exponamus
fusius. Tradit nimirum Vir Clarissimus M. GEORG. LIZELIUS,
in Historia Poetarum Graecorum Germaniae p. 330. eum duce praec-
ceptore suo, M. Dau. Frid. Megerlino sermonem πολύγλωττον con-
scriptum habuisse publice in Auditorio Academicō die XXIII. M. Dec.
A. MDCCXXVII. En uerba Lizelii:

„Praemissō carminis latini, aduentum Christi in carnem celebran-
tis prooemio, in prosa Hebraice desiderium gentium ex Hagg. II.
exposuit.

„exposuit. Hoc desiderium adimpletum esse, historia Saluatoris,
 „Grajo, eoque soluto sermone exposita, docuit, Chaldaice vero re-
 „gnum Messiae aeternum ex Daniele sicut. Samaritana deinceps
 „lingua Iesum verum יהשֵׁעַ esse ostendit. Arabice vero, quod solus
 „Iesus fit Dei Legatus, aduersus, LXI. Suram Corani, demonstrauit.
 „Ore Rabbinico Iesu nostro conuenire attributa ex Sanhedrin com-
 „monstrauit. Aethiopice impleta esse Psaltis de Messia vaticinia,
 „ex Psalterio Aethiopum probauit. Syriace venerationem Immanueli
 „nostro, Angelis omnibus superiori, debitam, commendauit. Postea
 „carmine Ebraico ex Ies. IX. Seruatoris enucleauit nomina. Dein-
 „ceps Graecis versibus oracula imitatus Sibyllina, ea ex scriptura con-
 „firmauit. Carmine tandem vernaculo Actui colophonem impo-
 „suit. Alia quidem, nominatim Germanica in prosa, Graeco-Bar-
 „bara, Gallicaque intersperserat, si tempus permisisset, recitanda.

„Diu haesitauit, an iuuenis WALZIVS unicus ac verus auctor
 „sit horum carminum. Litteras ea propter ad Megerlinum, Walzia-
 „norum studiorum moderatorem, dedi, qui promptissime respondit:

„Facile in honorem Walzii queo profiteri, illum omnes me
 „disponente, Orationes et quibusdam praelucente, librosque necessa-
 „rios commodante, composuisse, me supremam tamen limam tandem
 „superaddente. Haec Lizelius.

§. 5.

Rebus his ex sententia geslis, paulo post Walzium nostrum in-
 signis auditorum circum numerus fluebat, non solum vero ex plebe
 iuuenium, verum etiam illustris Princeps Narizky ex Russia oriundus
 eum studiorum moderatorem et in itineribus comitem sibi eligebat.
 Mentor igitur noster, non tamen aetate grauis, qualem Fenelon sicut,
 sed imberbis, cum Telemacho suo, cui in via sub nomine Pisiky la-
 tere placebat, Wittebergam petebat, vt ab Haasio in Mathematicis
 instruerentur, id quod etiam Lipsiae, duce Hausenio, factum est,
 ubique egregio cum successu.

§. 6.

Militaris vero Architectura, vt utrique redderetur perspectior,
 Dresda erat adeunda, ubi, praetore Landsbergio et tribuno Krubfacio
 facem praferentibus, mirificos fecere in hac, summorum virorum

personis

personis digna, scientia progressus. Cum etiam Princeps Russicus A. 1739. patriam repeteret, Noster tamen Dresdae substituit, virosque illustri loco natos et militaribus fungentes ministeriis, vel iisdem propediem admouendos in rebus instruxit militaribus.

§. 7.

Virum igitur tantis dotibus, tantis meritis florentem, a se dimittere religioni sibi ducebat Potentissimus noster Augustus, quare ei Confiliarii et Mathematici Regii officia demandabat. Quo facto exteri (ex quibus Neutonium, Muschenbrock, Maupertuis, Eulerum nominasse sufficiat) litterarum commercium cum eo instituebant. An. 1747. a Regia Scientiarum Academia, quae Berolini floret, inter membra, multis elogis cumulatus, cooptabatur, id quod factum etiam est a Collectoribus Act. Erudit. Latin. qui strenuum eum suorum inuenierunt laborum socium. Faustos etiam Lipsienses, quod ad Astronomica spectat, per plures elaborauit annos.

§. 8.

Non vero dissimulare possumus, vnam nos maxime causam praeципue in Viri beati rapere admirationem. Notum est nobis, plurimi ex Historia Litteraria petitis exemplis, illos viros, qui memoria valent multasque sibi linguas reddunt familiares, plerumque iudicij prodere defectum, ab ingenio etiam parum valere. Noster vero πολύγλωττος insignis simul erat Poeta, et egregius Mathematicus, et eadem hora cum doctore Iudeorum de argomento Talmudico differere, cum Mathematico vero de calculo quodam difficillimo verba facere, interiecit autem exiguo tempore cum Poetis ludere maxime ipsi erat solenne. Audite aliud portentum, idque arrectis, quod vocant, auribus, Philosophi alii plerumque contrahunt frontem, suosque aegre ferunt turbari circulos, Noster vero etiam magna fuit in Musicis gloria, nam citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus, excitabat mentein grauioribus defatigatum laboribus.

§. 9.

Omitto splendidissima, quae ipsi Berolini, aliquisque in Vrbibus, sponte offerebantur, imnera, in hoc commemorare loco. Sed proh dolor! non omnia omnibus Dii dederunt, inquit Imperator Punicus apud

apud Liuium. Historia litteraria nobis quam plurima sifit exempla viros in litteris diurna nocturnaque versantes opera raro commoda vti valetudine, minimeque Nestoris attingere aetatem, quae felicitas vero iis contingit, qui leui manu saltem tractant litteras, genio suo simul haud raro indulgentes, qui igitur ob otia, quae sibi concedunt satis frequenter, optima vtuntur valetudine serique ideo ad plures euocantur.

§. 10.

Die enim XVII. M. Iul. A. MDCCXLVII. Febre Noster correptus diem obiit supremum, anno aetatis suae XXXIV. Vti vero Imperatorem oportet stante mori, ita etiam WALZIUS, etiis indies accrescere sentiebat dolores, tamen Illustr. Comites KEYSERLINGIVM et WAZDORFFIVM aliasque Collegii sui domestici iuuenes, lecto affixus, instituere pergebat, donec mors ultimam eius ordinaret lineam.

§. 11.

Quantus vero propterea luctus excitatus fuerit in Eius Familia Vos ipsi colligere potestis. Lectores Beneuoli, eum, illa Dresdena, reliqua, vbi, quicquid supelleculis litterariae atque domesticae relictum erat, fatali illo periit incendio, Sangerhusam concessit. Nostis Vi- duam eius, foemina nobilissimam, SVSANNAM CHRISTIANAM ex Seziorum familia, nostis Filias omnibus, quibus muliebris sexus gaudet dotibus, instructissimas, quarum prior, CHRISTIANA SV- SANNA, KRVBSACIO, nupsit, posterior vero coelibem adhuc degit vitam. Nostis vero etiam Generum tanti Viri, KRVBSACIVM meum, Architectum Regium iamiam Varsouiae versantem, quem Deus feruet, qui laude vero minime mea indiget. Cum Mars Dresdenae Architectis otia fecerat, iter ad Principem Saxonie Inferioris faciens, Sangerhusam delatus, mihi innotuit in Museo amici multis annis multis experimentisque probati. KRVBSACIVS mihi mirifice placebat, nam, cum summa in arte sua peritia, parem iungit humanitatem, neque ego ipsi displicebam, cum rationem, qua in erudienda iuuentute, tot per annos, vsus fui, et adhuc utor, plenius intelligeret. Exemplo constituit et Socrum, et Vxorem, eiusque fororem atque fratres Dresdena Sangerhusam euocare, nullam aliam ab rationem, quam vt hi mea potissimum uterentur institutione.

§. 12.

Z/3415 BK

VIII

X 3294876


§. 12.

Cum hoc per quatuor factum esset annos, visum nunc est Illusterrimo BRVHLIO, Purpuratorum Regiorum Principi, atqui Perilustri GLOBIGIO, cuius Pater Patriae fidei Ecclesias atque Scholas nostras comisit, Musis Lipsiensibus eorum commendare expolienda studia. Nefas esset eos sine bonis dimittere auctoriis atque omnibus, indicimus igitur in Schola nostra diem festum Mineruae sacrum, in quo, in auditorio nostro maiori inter concentus Musicos, verba facient

- I. IOH. THEOPH. WALZIVS Dresden. *de iniusta querela, quod defint
Maeccenates*, latino sermone differet.
- II. HENR. CAR. GOTTLIEB WALZIVS Dresden. *veram ad hono-
rem perueniendi viam*, verbis gallicis, ostendet.
- III. TEREMIAS CHRISTIANVS ROLLIVS Gehoven Thur. *de
officio liberorum, quod Graeci αντιπελαγχεν vocant*, sermone
patrio praecipiet.
- IV. CAR. CHRISTOPH. FRID. KNOBLAVCH. Wickeroda Thur.
*Oratione graeca Deum tanquam praefidium et dulc decus vi-
duarum et orphanorum celebrabit.*
- V. CHRISTIAN. FRID. KIRST, Werningshausen Gothanus, car-
mine germanico, vt in Candidatis Horatii illud: *Fortes creatur
fortibus et bonis impleatur, exoptabit.*
- VI. CHRISTIAN GOTTFRIED FRITSCHE, Ludersdorf. Thur.
Ode germanica Martem hac tempestate Musis amicum probabit.
Ut vero huic Panegyri iustus accedit splendor, Vos Viri natalibus,
doctrinis, meritis florentes rogatos cupio, velitis ad diem ELISABE-
THAE, qui nomen dedit inuictissimae Russorum Augustae, et in fa-
fis nostris ideo albo notatur calculo, frequentes in Auditorio nostro
comparere. Scrib. Sangerhusae Dom. XXVI. post festum diem Tri-
dos A. MDCCLXI.



M.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DE

ET MERITIS

RIS ATQVE CELEBERRIMI

S THEOPHILI
VALZII,

QVE MATHEMATICI REGI
NT. BEROLINENSIS SODALIS

DISSERIT

DE AVDIENDAS ORATIONES

ILIORVM EIVS

QVE COMMITTONVM

ENTER INVITAT

GOTTLOB KAENDLERVS,

ECTOR, ATQVE SOCIET. SCIENT.

AE, LATINAEQVE IENENSIS

BRVM HONORARIVM.

LIPSIAE
CINA BREITKOPFIA

M D C C L X T
BIBLIOTHECA
RONICKAVIANA

